

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 96

Noticia in quorum presentia venit Ritcant, noviter postquam vestitus erat de abatia Sancti Salvatoris, et alii ex fratribus cum eo, ante Rivilin commitem in Broniuduucon, interpellans quosdam homines quorum ista sunt nomina: Milun et Haeluucon, filium Risoc, et Biduoret, et Haeluucon, filium Standulf, de iam dicta villa quam Conuuoion abbas, cum consensu suorum monachorum, beneficiaverat eis in fidelitate Sancti Salvatoris et abbatis qui fuisset in Roton et omnium monachorum rotonensium, ut redderent ipsa beneficia in manu sua, quia ipse erat electus ad abbatem post Conuuoion; et tunc reddiderunt viri supranominati beneficia sua que, usque tunc, ex datu Conuuoion tenebant, in manu Ritcant novi abbatis. Deinde ipse Ritcant, ipsis suppliciter precantibus, reddidit illis iterum ipsa beneficia ex consensu fratrum, in fidelitate et servitio Sancti Salvatoris et sua et omnium monachorum rotonensium; et ut essent defensores tocius abbatiæ Sancti Salvatoris, nisi forte, quod absit, commes qui fuisset in Poilac contrarius monachis rotonensibus, tunc, ipsi reddant beneficia sua in manu Ritcant abbatis vel cuiuscumque qui fuerit abbas in Roton; et dederunt viri supradicti fideiussores ad Ritcant ut essent fideles, iuxta hunc modum, Sancti Salvatori et abbati qui fuerit in Roton et monachis rotonensibus; isti sunt fideiussores quos dedit Milun in hac fidelitate et servitio, id est, Haeluucon, filius Standulf, et Haeluucon, filius Risoc; et isti sunt quos dedit Haeluucon, filius Risoc, id est Milun et Haeluucon, filius Standulf, et Maban; et hi sunt quos dedit Buduoret, id est, Maban et Christian et Arthuui; Arthuui, tamen, sicut Conuuoiono abbati dederat, tamen Haeluucon, filius Standulf, nunc tunc reddidit. Factum est hoc in plebe Poliac, in Broniuduucon, .VI. kalend. marc., .II. feria, ante Rivelen commitem, coram multis nobilibusque viris quorum ista sunt nomina: Rivelen, commes, testis; Telent, testis; Driuueten, testis; Briuualt, Gleumarcoc, testes; Uuormoet, Groniar, testis; Benedic, testis; Risuueten, testis; Ullirgen, testis; Euen, testis; Uuoetual, testis; Uuoruinet, testis; Coruueten, presbyter, testis; Uurdisten, testis; Haeluucon, testis; Maencouual, testis; Dreanton, testis; Trederh, testis.